

possit. (c) Credoque, non ex alia re tantum amorem in Plautum excitatum esse, quam quod, quam lepiditatem ingenii natura Comico olim tribuerat, eam & post tot secula elapsa iterum in Taubmanno finxerat. (d) Circa qualitatem expedienda est quaestio, vitiorum an virtutum censu Plautinum Taubmanni loqvendi scribendique genus sit habendum. Equidem execror ex animo factum istorum, qui ut in superiori Germania viventibus omnem, quæ ab eruditione haberi potest, laudem adimunt, ita nihil insulsius dici posse clamant, quam quæ in Taubmanni encomia proferantur. Quo consilio Fabricium Taubmannum taxavisse, Fellerus b.m. autor est. (e) Neq; audeo etiam de viro iniquè judicare, qui consentientibus plerorumq; eruditorum suffragiis punctum omne fert, & cujus carminibus Veneres etiam Charitesque multæ insunt. Sed & Sol non est sine maculis. Siq; rigorem adeò adhibere velim, quædam arguenda esse, dissimulare non possum. Ut ferendum enim censeam, ad risus movendos aptissimas sententias in dissertatione de lingua latina poni, quòd, velut veteres Comici Fabulis suis vitia hominum in visorum in voluptatem spectatorum taxare consueverant, sic & Taubmanno hoc loco propositum fuit venditores laureæ poeticæ exagitare; vix tamen

---

excu-

(c) Colligi hoc quodammodo potest ex Epigrammate ad Bernhardum Prætorium Melodæf. p. 414. cujus distichon ultimum ita se habet:

Mallem ego pistrinum molitoris cernere Plauti,  
Quàm Capitolini maxima templa Dei.

(d) Indicat hoc Fellerus l. in priori programme citato, quando in Plauto invenisse Taubmannum *stomachi sui comicum* cœset, (e) l. sup, cit.